

## E P I S T O L A

offerō. De te primūm ut loquar, iam diu equidem mihi perspectum est, quanto studio studia hęc nostrā semper sis prosequutus: cuius virtutis propemodūm singularis (est enim Virtus, literas virtutū officinā excolere) eadē tua mater heredem te reliquit. Hinc viri literati & eruditi suū quoq; honorificū ordinē apud te plurimūm sunt consequuti: hinc tua Academia illa Bearnensis efflorescit: quod amoris tui in literas argumentū est luculentissimū, ut nihil absurdū facere existimari debeam, qui literarū fautori literarium aliquid offeram. De meo verō munere ut dicā, ne extra quidē cancellos scholasticos ullū Maiestate tua dignius inueniri posse cū quouis facillimē cōtenderim. Siue enim belli siue etiam pacis negotia administres, habet Maiestas tua quod in utroq; Homeri volumine à suis occupationibus alienū nō reperiat, etiā nescio qua Syllana turba reclamante, quę Regū animis iam diu obstrepere petulanter solet. Quibus fastus & pompa aulica iam ab ineunte etate placet, & nostrā studia sordent, quasi illi in nobiliore & præstantiore vitę genere versentur, solent eos qui illa profitentur, nō solum sua societate, sed Regū etiā comitatu indignos iudicare: porro si qui hodie tales supersunt, omnē mihi ad tuam Maiestatem aditum intercludere conabuntur, quod illis nimirū in hac gloria solis triumphare liceat, nobis quasi e plebeia face recens exorietibus, velut profanis tuę interpellanda Maiestatis licentia debeat interdici. Ego verō indicatum huiusmodi hominibus volo, me instructum ijs ad te me cōferre, quę magis tuā exornare Maiestatem possint quam illorum presentia. Quid verō illud tandē est, quod tantoperē vendito? Homerus meus, Rex illustrissime, & iam donatione mea tuus Homerus, inquam, cuius scripta nō solum à liminibus regijs nō arcenda, sed ijs quasi egregia quadā Regię Maiestatis ornāmēta, utpote q̄ omnia spirēt regia, excipienda sunt. Quid ita? Attende, Rex illustrissime: ego omnia paucis explicabo. Regiū est sorte, regium est prudentē esse: Fortitudo nimirū & Prudentia tutissima sunt esse Regij status columina. Ecce Homerus tuus utramq; partē ita persequitur, ut eum demū finē spectasse videatur, quō Regibus digna omnia scriberet, & in caco, errabūdo, miseroq; alioqui vate (q̄ casus solent virtutē ferē comitari) nō alius planē quā Regius fuerit animus, nō alius saltē ex monumētis eius elucescat. Primūm tota Ilias integrū est & perpetuum FORTITVDINIS speculum vel in solo Achille, quē ita informauit, ut ei parem, si Maiestatem tuā excepero, sequentia secula neminē protulerint. Enimverō quid Hectoras, quid Agamēnonas, quid Menelaos, quid Aiaces, quid Diomedes, quid Idomeneos, quid Nestoras, quid Menestheos, quid Vlysses & reliquos Heroas clarissimos cōmemorem, in quibus luculenta fortium virorum effigies ita ad viuum expressa est, ut nihil exactius à mortalitate excogitari possit? Licet ergo bellica negotia capeesses, nō à te eliminādis idcirco veniet Homerus, quasi illa vllatenus interturbaturus sit: hic potius tua cōsilia adiuuabit, & si tantillū temporis illius lectiōni tribuere nō dedigneris, ad ipsa prælia subeundū te alacriore logē efficiet. Nulla enim alia re solet fortitudo magis excitari, quā fortium virorum cōmemoratione: vnde legimus, vel ipsum Themistocle ob Miltiadis trophęa subinde expergefactū, ut insomnes etiā noctes trāsegerit: neq; dubito, quin etiā in ipsa acie tati ducis, cuius facta & virtutē studiosē emulabatur, recordatione eō fortius se gesserit. Cū ergo his stimulis excitetur

citetur